

HANNONIA COMITATUS.



Hannonia Nerviorum olim sedes fuit, quorum caput hodie dicitur Tornacum. Sæpius hæc regio mutavit nomen. Initio dicta est Pannonia, postea Saltus Carbonarius, inde inferior Picardia, postremum

Termini.

Qualitas regionis.

Hannonia, vernacule *Heinault* vel *Henegouwe*, à fluvio *Haine*, sive *Hene*, & antiqua voce Germanica *Gow*, quæ regionem vel pagum significat. Habet à Septentrione Brabantiam & Flandriam, ab Austro Campaniam & Picardiam, ab Ortu Namurcenses & Leodienses: ab Occasu Scaldim cum Flandriæ & Artesiæ parte. Longa est universa regio 20 mill. lata 16. Aëre fruitur suavi & sereno, agro fertili, variisque fluminibus irriguo, Scaldi, Sambra, Tenera, atque aliis. Silvas habet & nemora admodum jucunda. præcipua vero sunt, *Mormault* & *S. Amandi*. Abundat etiam lacubus, stagnis, fontibus, pratis, pascuis, segete, pomariis, aliisque ad vitæ usum rebus necessariis. Habet & metallâ ferri optimi & plumbi. Præterea lapicidas variorum marmorum, atque etiam duri filicis, quem Ovidius indicem vocat: & λιθωνόρον. Urbes in Hannonia, fossa, valloque munitæ, sunt 24: *Mons, Valenciennes, Bouchain, Quefnoy, Condé, Landresy, Avesnes, Chimay, Marienburch, Philippeville, Beaumont, Maubeuge, Bavays, Bins, Reux, Soigny, Braine le Comte, Engien, Halle, Le Stine, Cheure, Aix, S. Guislain, & Leuze*. Pagi 950, quorum plerique omnes pulcri, amœni, opulenti. Principatus hic tres sunt, *Chimay, Ligne, & Barbançon*. Comitatus sexdecim. Baronatus 22. Abbatia 26. Pares 12. Vnus Mareschallus, unus Seneschallus: unus magnus Venator. Sunt & aliæ dignitates, quas omnes referre operosum foret.

Montium descriptio.

Mons urbs est primaria, cui nomen factum non solum à monte, seu colle, super quo ædificata est, sed & à reverentia & honore sanctorum aliquot hominum, qui in avium istum & solitarium locum secedentes, anachoreticam ibi vitam vixere. Interluit urbem fluvio *Trulla*, qui è pluribus rivulis derivatus præcipuum fontem habet ad pagum *Grandrengam*. Fluit autem continuo fere trium leucarum spatium versus Occidentem: atque inde, in exitu hujus urbis, *Hainam* fluvium influit. Oppidum situ & opere munitissimum est: ut quod inundari undique possit, & aquis cingi: ac præter situs ipsius firmitatem, non tantum robusti operis muro, sed & triplici admodum lata fossa, tum & arce perveteri, decoratur. Amplum insuper, & egregiis cum publicis tum privatis ædificiis ornatum, fontium denique limpidissimorum aquis luxurians. Dives idem & mercimoniis, varioque

Belgica.

opificiorum genere, ac præsertim *Sajarum*, quas vocant, textrinis opulentissimum. Sedem hic habet concilium Regium, ad quod provocat totus Hannoniæ Comitatus, Valentianis modo exceptis. Sententias hic Senatus fert decretorias, à quibus *Mechliniam* aut alio provocatio non est. Spectatur in hac urbe nobilissimum illud collegium *Canonicarum*, conditum ab illustri muliere *Diva Gualtrude*, Duce *Lotharingiæ*, qui Ducatus tunc temporis continebat *Hannoniam, Brabantiam, Cameracensium, Hasbaniam, Arduennam*, & ad *Rhenum* usque extendebatur. *Carolus Magnus Imperat.* Montes non tantum Hannoniæ Comitatus metropolim esse voluit, sed in memoriam maxime gloriamque sanctissimorum, qui hic vixere, virorum, & feminarum, singulari eam urbem Comitatus dignitate exornavit. Sic ut aliquandiu peculiâres habuerint dominos, qui titulum inscribebant *Comitum Montensium*, sed intermissum illum Hannoniæ tandem resumserunt, orti, sed per lineam femininam, ut vocant, ex clarissimo sanguine dicti *Caroli Magni*.

Athum.

Oppidum *Athum* in confessu Statuum Hannoniæ primum est post Montes metropolim, à qua *Flandriam* versus quinque milliaribus distat. *Appennagium* est primogeniti Comitis Hannoniæ, nominaturque Comitatus *Burbanus*, arcemque habet. Situm est ad fluvium *Tenaram* navigabilem, per quem *Antverpiam* usque & ultra itur. Olim arx præsidio Comitis tenebatur contra *Flandros*. *Mercimoniis* celebre est, præcipue subtilium & albarum telarum, quas vulgo *Hollandicas* vocant, & aliarum, quæ mittuntur in *Galliam, Hispaniam, Germaniam* que: cærulearum insuper, quæ distrahuntur in terra *Leodiensi, Trajecti ad Mosam, Limburgi*, & in locis vicinis. In pagis *Atheni* jurisdictioni subditis diversi sunt panni, qui ad oppidum portantur, ut diversis coloribus imbuantur. *Bubalarum* adhæc pellium magnum hic est commercium, quæ etiam per totum hunc districtum venduntur. *Athum* proprium habet *Gubernatorem, Senatum & Tribunal*, quibus viginti sex, partim oppida, partim pagi, parent. Hæc jurisdictioni *Castellania Atheni* vocatur, extenditurque ad portas *Tornacenses* & inde usque in *Flandriam*.

Bouchain.

Bouchain municipium est situm ad ripam *Scaldis* inter *Cameracum & Valencenas*, exstructum à *Pipino*, in memoriam nobilis victoriae, quam hoc loco retulit ab exercitu *Theodoric* Gothorum Regis, ac proinde hanc voluit esse metropolim Comitatus *Osternand*, qui ab *Ostrogothis* nomen habet. Porro hic Comitatus olim erat primogeniti filii Comitis Hannoniæ. Idem aliquando fuit sub familia *Zelandica Borsaliorum*. Nam cum *Franco de Borsalia* uxorem

D d

duce-